35v

In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus fuit traditus et osculatus
Consequenter audiamus quomodo fuit derisus consputus et velatus
Cumque cohors Christum comprehenderet et ligaret
Contigit quod Petrus cuidam servo auriculam amputaret
Statim Jhesus ibidem benignitatem suam demonstrabat
Et auriculam illius tangens subito sanabat
Duxerunt autem eum primo ad domum Anne
Qui erat socer summi pontificis videlicet Cayphe
Cumque Annas Christum de sua doctrina interrogaret
Audivit quod ab hiis qui audierant eam investigaret
Ipse enim in angulis docere non solebat
Sed in templo vel in synagoga ubi totus populus conveniebat
Statim unus servorum manum suam levabat
Et sibi alapam maximam in maxillam suam dabat
Iste creditur fuisse ille servus videlicet Malchus
Cuius auriculam modicum ante sanaverat Christus
Christus autem se non vindicabat nec repercuciebat
Sed cum omni mansuetudine humiliter sustinebat
O fratres si aliquis ex vobis talem alapam suscepisset
Et si posset quod Christus potuit quid fecisset
Forsan cum Petro evaginato gladio repercussisset
Vel cum Jacobo et Johanne ignem de celo super eum misisset
Non sic faciendum est fratres sed attendite Christi doctrinam
Qui te percusserit in unam maxillam prebe ei et reliquam
Duxerunt igitur Judei Jhesum ligatum de domo Anne
Et perduxerunt cum multis contumeliis ad domum Cayphe
Ibi congregati sunt seniores populi ut consilium inirent
Quomodo contra Jhesum causam et occasionem mortis invenirent
Omnia autem que adversus eum confingere potuerunt
Insufficiencia et omnino mendosa fuerunt
Tandem adiuravit eum Cayphas per deum ut eis diceret
Si ipse Christus filius dei vivi esset
Cumque adiuratus se filium dei esse fateretur
Responderunt omnes quod merito pro hoc morti adiudicaretur
Velaverunt igitur oculos eius quodam velamine
Et maculaverunt faciem eius multo sputamine
Dederuntque ei alapas dicentes quod prophetaret
Et quis esset qui eum percuteret enarraret
Omnem contumeliam quam sibi irrogare potuerunt
Hoc illi iniquissimi Judei sine mora fecerunt
Hec contumelia tante derisionis et tam prophane
Duravit in domo Cayphe tota nocte usque mane
O quanta erat salvatoris mansuetudo et paciencia
O quanta erat Judeorum sevicia et insipiencia
Oculos qui cuncta prospiciunt velaverunt
Eum qui omnia scit percucientem se nescire putaverunt
Faciem illam delectabilem in quam angeli prospicere desiderant
Sputis suis immundissimis maculare non timebant
Manus illius ligare presumpserunt
Cuius manus in principio celum et terram plasmaverunt

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0070
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt